

apud Barbosam, in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Procurator*, n. 1.

(40. Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti. Sacra congregat. Concil., in *Tridentina*, 16 Maii 1630; Barbos., *loc. cit.*, num. 4.

(41. Procurator pro contrahendo cum absente matrimonio potest esse diversi sexus ab illo, cujus nomine contrahit; unde potest femina contrahere pro viro, et econtra vir pro femina: agit enim non suo, sed alterius nomine. *Vide* verb. *MATRIMONIUM*, art. 1, n. 36.

(42. Nec requiritur, quod procurator sit certæ ætatis; quamvis enim c. *Qui generaliter*, ff. fin. *De procuratorib.* in 6, et l. *Minor* 51, ff. eod., juxta dicta supra num. 20, dicatur, procuratores ad negotia debere esse xvii annorum, tamen id non requiritur in matrimonio, in quo non exigitur industria procuratoris, sed tantum manifestatio consensus: unde sufficit, quod sit in ætate sufficiente ad manifestandum sui principalis consensum, quamvis nec dum esset pubes. *Vide* d. verb. *MATRIMONIUM*, n. 37.

(43. Impedimentum cognationis spiritualis procuratoris, qui puellam ad baptismum suscepit, non obstare, quo minus matrimonium contrahere valeat cum puella suscepta, respondit sac. congreg. Conc., in *Theatina matrimonii*, 23 Aug., et 18 Sept. 1721; apud *Thesaurum Resolutionum sacræ congreg. Conc.*

(44. Procurator generalis Observantium debet præcedere in capella Pontificia procuratori Patrum Conventualium. Sac. cong. Rit., 26 Nov. 1593, et 11 Jan. 1692, approbante sanctissimo, ut patet ex decreto ad litteram relato a Lantusca, in *Theat. regul.*, verbo *Procurator*, num. 6, ut infra.

« Viso memoriali pro procuratore generali ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia sanctissimo domino Nostro porrecto, et a Sanctitate Sua congregationi sacrorum Rituum transmissio super præcedentia eidem procuratori in capella Sanctissimi ante procuratorem generalem ejusdem ordinis conventualium competenti ac decreto alias sub die 26 Nov. 1593, ad ejusdem procuratoris de Observantia favorem facto:

« Congregatio die 21 Jan. 1602, stetit in decisio, factaque eidem sanctissimo domino Nostro (juxta ejusdem sanctissimi rescriptum) de præmissis relatione, Sanctitas Sua dicta decreta approbavit, et ab his, ad quos spectat, observari mandavit.

« P. H. card. com. »

(45. Procuratores seu officiales deputati monasteriorum monialium durare debent per triennium, et non ultra, seu de triennio in triennium mutari debent. Sacra congr. Episcop. et Regul., in *Orien.*, 16 Jul. 1615; apud Barbos., in *Summa Apost. decis.*, verb. *Procurator*, n. 3; et Monac., t. I, tit. 11, formul. 14, n. 8. (46. Imo si episcopus animadvertat non esse utiles, parumque propensos et diligentes servitio, etiam du-

rante triennio, poterit eos remove. Eadem sacra congregat., in *Surrentina*, 12 Maii 1617; apud Monac., *loc. cit.*, n. 8.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. Procurator contrahendo, etsi regulariter non propriam, sed personam obliget mandantis, plures tamen sunt casus, in quibus propriam obligat personam.

(48. Primus casus est, si sine legitimis facultatibus contraxerit. Dicitur autem contrahere sine legitimis facultatibus, si mandato contrahendi caruerit, ut respondit Rota, in *Milevitana redditionis rationis super indemnitate*, 24 Aprilis 1740, § 3, cor. *reverendiss. Molin.* (49. Idem est, si mandatum fuerit revocatum, nec juvatur ambiguitate revocationis, et credulitate ratificationis, et vanum est dicere *putabam*, ut firmavit idem sacrum Tribunal, in *Romana frumenti super reservatis*, 7 Mart. 1742, cor. *eodem*.

(50. Alter casus est, si procurator habeat mandatum, sed mandans sit *exterus, et ignoti nominis*; Rota, *dict. Romana frumenti super reservatis*, 7 Mart. 1742, cor. *eodem*.

(51. Tertius casus est, si substituerit, et substitutus male se gesserit. Et nota id locum sibi vindicare, etiamsi procurator facultate substituendi donatus fuerit, modo facultas substituendi non sit directa in certam personam. Confer Rot., in *Romana pecuniaria*, 9 Decemb. 1743, cor. *reverend. P. D. Canillac decano*, ubi quando procurator non teneatur pro male gestis a substituto.

\* Multa sunt onera defensorum, quæ hic non recensentur, sed unusquisque per se videt, procuratorem in re aliena se gerere debere, ac si de re propria ageretur. Sed si procurator officio functus sit vel defecerit, tum ipsi, tum domino competit actio. « Si quidem ea obligatio, quæ inter dominum et procuratorem consistere solet, mandati actionem parit. L. 42, § 2, ff. hoc tit. Unde procurator ut in cæteris quoque negotiis gerendis, ita et in litibus bona fide rationem reddere debet. Itaque quod ex lite consecutus erit, sive principaliter ipsius rei nomine, sive extrinsecus ob eam rem debet mandati iudicio restituere, usque adeo ut etsi per errorem, aut injuriam iudicis non debitum consecutus fuerit, id quoque reddere debeat l. 46, § 4, ff. eod. Item contra, quod ob rem iudicatam procurator solverit, contrario mandati iudicio recuperare debet d. l., § 5. Nam litis impendia bona fide facta, vel ab actoris procuratore, vel a rei debere ei restitui æquitas suadet d. l., § 6. Pœnam autem quam ex suo delicto præstitit recuperare non debet, *ibid.*, § 8. »

« Aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati sicut evenit, cum in rem suam procuratorem præstamus, eoque nomine iudicatum solvi promittimus. Nam si ex ea promissione aliquid præstiterimus, non mandati, sed ex vendito, si hæreditatem vendidimus (finge: hæres vendidit hæreditatem, deinde is hæres conventus a

creditorum hæreditario emptorem dedit procuratorem pro quo *iudicatum solvi* promissit) vel ex pristina causa mandati agere debemus, ut sit cum fidejussor reum procuratorem dedit. » L. 42, § 2, vers. *Aliquando*,

PRODIGALITAS.

*Vid. tom. I, verb. AVARITIA, n. 13 et 14*

PROFESSIO FIDEI.

*Vide verb. FIDEI PROFESSIO.*

PROFESSIO REGULARIS.

*Vide verb. REGULARIS PROFESSIO.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

(1. *Propositiones damnatæ in conciliis Carthaginiensi et Milevitano annis 411 et 416 in causa Pelagianorum, habitis ex capite secundo Appendicis De damnatis propositionibus theologiæ moralis P. Gabrielis Antoine a P. Philippo a Carboneano subjectæ.*

1. Naturaliter potest implere legem, qui vult, et Deus legem ad adiutorium dedit.

2. Ad perficiendam justitiam, et Dei mandata complenda, sola humana sufficere potest natura.

3. Parvuli propter salutem, quæ per Salvatorem Christum datur, baptizandi non sunt.

4. Potest homo in hac vita, præceptis Dei cognitis, ad tantam perfectionem justitiæ sine adiutorio gratiæ Salvatoris, per solum liberæ voluntatis arbitrium pervenire, ut etiam non sit necessarium dicere: *Dimitte nobis debita nostra.*

5. Illud, et ne nos inferas in tentationem, non ita intelligendum, tanquam divinum adiutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, quoniam hoc in nostra positum est potestate, et ad hoc implendum sola sufficit hominis voluntas.

6. Non est orandus Deus ut contra peccati malum, et ad operandam justitiam sit noster adiutor.

7. Non opitulatur parvulis ad consequendam vitam æternam Christianæ gratiæ sacramentum.

(2. *Propositio abbatis Joachim, De unione divinæ Trinitatis in natura, damnata in concilio Lateranensi IV, sub Innocentio III, anno 1215. Collect. concilior., edit. Venetæ, anno 1730, tom. XIII, col. 929 seqq.*

1. Unitas divinarum personarum in natura non est vera et propria, sed quasi collectiva et similitudinaria, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, et multi fideles una Ecclesia.

(3. *Propositiones duæ, altera De usuris, altera De anima rationali, a Clemente V, in concilio generali Viennensi, anno 1311, damnatæ; illa Clementinar., lib. 1, tit., cap. 1, Fidei catholicæ, hæc lib. v, tit. 5, cap. unic. Ex gravi.*

1. Exercere usuras non est peccatum.

ff. hoc lit. Id est ex illo pristino mandato, quod contractum est cum reus mandavit fidejussori, ut pro ipso fidejuberet, non ex illo mandato, quo fidejussor mandavit reo, ut ipsum adversus creditorem defenderet\*.

2. Anima rationalis non est vere et proprie forma corporis humani.

(4. *Propositiones Beguardorum et Beguinarum ab eodem Pontifice in eodem concilio damnatæ, Clementinarum lib. v, tit. 3, cap. 3, Ad Nostrum.*

1. Homo in vita præsentis tantum, et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, et amplius in gratia proficere non valebit. Nam (ut dicitur) si quis potest semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradus perfectionis hujusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita spiritui et rationi subjecta, quod homo potest libere concedere corpori quidquid placet.

3. Illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis et spiritali libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur. Quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas (II Cor. III, 17.)

4. Homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsentis assequi, sicut eam obtinebit in vita beata.

5. Quælibet intellectualis creatura in seipsa naturaliter est beata, et anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.

6. Se in actibus exercere virtutum est hominis imperfecti, et perfecta anima licentiat a se virtutes.

7. Mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.

8. In elevatione corporis Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis ejusdem, si a puritate et altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa mysterium, seu sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitent.

(5. *Propositiones Joannis de Poliacio docto-*